

titulo edidit: *Anastasi S. R. Ecclesia Bibliothecarii Historia de Vitis Romanorum Pontificum à Beato Petro Apostolo usque ad Nicolaum primum, numquam hactenus typis excusa.* Quamvis enim rationem reddat in præfatione ad lectorem, quia stylus, totaque scribendi ratio, ordo, & methodus earum vitarum, quæ post B. Damasi vitam in hoc Codice extant, omninò consentire videtur cum præfati, universaque scribendi ratione, quæ est in vitis prioribus Damaso hactenus inscriptis, uti quisvis non obesse naris lector facile odorari, & advertere poterit, prorsus, omnium illarum (licet nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione vel detractione, ob summam superiorum seculorum in-

scitiam depravata sint) verum, & germanum parentem esse Anastasium S. R. Ecclesia Bibliothecarium. Quare & ejus nomenclaturâ totum opus ornare non dubitavimus. Quamvis, inquam, his verbis auctor, ab uno eodemque Anastasio omnes Pontificum vitas conscriptas fuisse, indicet, mirum tamen in modum à vero aberrat, ut facile ex supradictis colligi potest. Atque hæc quidem sufficiant de libro Pontificali, ejusque auctore. Restat ut videamus, ex quibusnam antiquitatis monumentis liber ille conscriptus sit, & quænam ei fides à viro cordato adhiberi possit, vel debeat.

C A P U T N O N U M.

Ex quibusnam antiquitatum monumentis liber Pontificali concinnatus sit, & quænam ei fides adhiberi possit.

1. Auctor prioris partis libri Pontificali à Petro ad Zachariam usus est Catalogo sexto sæculo exarato, ut patet in primis ex diversis locis, quæ ex Catalogo descripsit.
2. Secundo id constat ex Consulibus notis, quas auctor libri Pontificali, ex secundo Catalogo desumpsit, nam nullos alios Consules, quàm in secundo Catalogo assignatos exhibet.
3. De actis, quæ auctor Pontificali aliunde habuit, partim scitur, partim ignoratur, unde desumpta sint.
4. Inter illa, quorum fons, & origo scitur, sunt nonnulla acta Cornelii Papæ ex antiquiore Catalogo descripta: Acta Stephani, Marcelli, aliorumque ex ipsorum Vitis, seu martyrii actis collecta sunt.
5. Quæ de donationibus in Silvestro, & Marco adduntur, ex instrumentis Ecclesiarum, & Archivo Sedis Apostolicæ prodierunt, unde de libri Pontificali præstantia constat.
6. Ex posteriori parte libri Pontificali à Zacharia usque ad Nicolaum Primum de ejus præstantia constat, quia ab auctoribus synchronis conscripta est.
7. Deinde, quia ex authenticis istorum temporum monumentis concinnata fuit.
8. Ex dictis enim patet, quæ veneratione accipienda sint, quæ de historia, disciplina, ritibus, & fide in libro Pontificali reperuntur.
9. Heretici ipsi id negare non sunt ausi, ut ex illorum testimoniis eruitur.

1. **U**T de priori parte libri Pontificali, quæ vitæ Romanorum Pontificum à Petro usque ad Gregorium II. ab uno eodemque auctore descriptæ continentur, nullum in primis dubium esse videtur, quin auctor pro hac parte usus sit Catalogo Romanorum Pontificum sub Justiniani principatu concinnato. In singulorum namque Pontificum vitis tot tantaque hujus veritatis exempla occurrunt, ut auctor Pontificali plerumque verba Catalogi exscripsisse videatur. De Simplicio Papa habet Catalogus: *Hic constituit ad Sanctum Petrum, & ad Sanctum Paulum, & ad Sanctum Laurentium, hebdomadas, ut presbyteri manerent propter Baptismum & penitentiam petentibus, de regione prima ad Sanctum Paulum, de regione tertia ad S. Laurentium, de regione septima ad S. Petrum.* Quæ auctor Pontificali his verbis refert: *Hic constituit ad Sanctum Petrum Apostolum, & ad Sanctum Paulum Apostolum, & ad Sanctum Laurentium Martyrem hebdomadam, ut presbyteri manerent ibi propter penitentes, & Baptismum, regionem tertiam ad S. Laurentium, regionem primam ad Sanctum Paulum, regionem sextam, vel septimam ad S. Petrum.* Hæc auctor libri Pontificali, quæ nemo non videt, ex Catalogi loco superius allato desumpta esse. Habet quoque Catalogus in Simplicii antecessore Hilario Papa: *Hic fecit decretalem & per universum Orientem direxit, & epistolas de fide Catholica.* Quæ auctor Pontificali his verbis tradit: *Hic fecit decretalem, & per universum Orientem sparsit epistolas de fide Catholica, & Apostolica confirmans tres Synodos, Nicenam, Ephesinam, & Chalcedonensem.* Quæ verba constat desumpta esse ex

præfato Catalogi loco, in quo tamen nihil de tribus Synodis legitur, adeò ut necesse sit, auctorem libri Pontificali hoc Catalogo posteriori rem esse, cum illi nonnulla addiderit forsitan ex eodem fonte, ex quo auctor alterius Catalogi tempore Caroli Magni ante 850. annos sequentia desumpsit in Hilario Papa: *Hic spargit epistolas de fide Catholica per orbem Orientalem, & confirmavit tres Synodos, Nicenam, Ephesinam, & Chalcedonensem.* Quæ ex gestis Hilari Papæ primum ab auctore libri Pontificali, deinde ab auctore Catalogi tempore Caroli Magni contexti desumpta videntur.

2. Secundo constat hoc ipsum ex Consulibus notis, quæ in libro Pontificali, ad unumquemque Pontificatum occurrunt, & quas auctor secundi Catalogi, partim ex antiquiore Catalogo tempore Liberii conscripta desumpsit, partim de suo addidit, ita ut ex eo constare existimem, quòd omnes Consules à Lini Pontificatu, usque ad Marcum Papam sint iidem omninò, qui in utroque Catalogo, & libro Pontificali assignantur, & sic auctor secundi Catalogi, ex antiquiore Catalogo, libri verò Pontificali auctor ex secundo Catalogo Consules desumpsisse credantur. Ut autem hac de re exemplum clarissimum adferamus, habet antiquior Catalogus in Marco: *Fuit temporibus Constantini Nepotiano, & Facundo Consulibus, ex die XV. Kalendas Febr. usque in diem nonarum Octobrium Consulibus supradictis.* Quæ auctor secundi Catalogi sic refert: *Fuit temporibus Constantini, & Nepotiani secundo Consulibus ex d. Kalend. Febr. usque in diem Kalend. Octobris.* Error librariorum hic est in Consulibus nominibus, nonnullaque mutatio